



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus XLVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

crucifixi imaginem argumentari : Nosti ne hanc imaginem ? Respondet reus, *novi*. Cujus putes illa est ? Respondit: JESU CHRISTI Filii Dei. Urisit sacerdos. Pro quo tandem, tam dirâ tormenta Filium Dei credis passum ? Respondit: Pro peccatoribus. Perrexit sacerdos omnibus ne ? Respondit reus, ita est, pro omnibus, subsumpsit sacerdos. Igitur & pro te. Respondit reus, nequaquam. Rursus ego sacerdos. Nunquid ergo tu non peccator. Imo verò, ait ille, sum, & maximus. Tum sacerdos, ex mysta dialecticus. Christus passus est pro peccatoribus omnibus. *Concessit*. Tu es peccator, atque ut ais maximus. *Concessit*. Ergo & pro te. Hoc verò contumaciissima mente pernegavit. Miseram cæcitatem, de qua tamen plurimum participant, qui quam suavis sit Dominus, & ad veniam facilis, in multorum exemplis, atque Magdalenzæ clarè nomine, redire tamen ad illum, quod necessario sequi deberet, nolunt. Videant, ne hæc sit participatio desperationis, à bono cognito, voluntatem avertere: imo ne sit communicatio damnationis, sub qua, damnati Deum optimum & justissimum agnoscunt: voluntatem tamen, ad objecta mali, & pœnarum, mente reflectente: frendent, & tabescunt, ac creatorem suum blasphemant.



MODVS XLVIII.

EX eodem loco distributionis desumitur: sed argumentatio, non explicatio simplex significati

R

cati

cati hîc dominatur, quod fit, quando à negatis partibus totius, argumentamur ad negandum totum; aut ab affirmatis partibus totius argumentamur ad affirmandum totum. E. g. à negatione, Dominica 7. à Pentec. super Evangelium. *Attendite à falsis Prophetis qui veniunt in vestimentis ovium &c.* Contra hæreticos inferes sic. Hæretici non habent Pastorem, quem amant veræ oves; non mutuam concordiam, non mansuetudinem, non simplicitatem ovium. Ergo hæretici non sunt oves, sed solum lupi in vestimentis ovium. Ab affirmatione sic. Hæretici habent signa falsorum Prophetarum, quod veniant nō missi, quod veniant ad Christi fideles, & nō eant ad convertendos infideles, quod tegant sub sua doctrino, principia dura, Deo & rationi repugnantia. Ergo hæretici sunt falsi propheta.

PRAXIS.

In Festo S. Joannis Baptistæ.

Quis putas puer iste erit? Resp. Erit magnus coram Domino. Luc. I.

Accessus & Propositio. Si esse magnum coram hominibus gloriosum habetur, atque laudabile, quanto magis is suspiciendus, qui meruerit, talis esse coram Domino. Hunc verò, debere haberi D. Joannem Baptistam, prius, data ab Angelo sententia, quam hodierna moveretur quæstio, ostendit.

Quæritur hodie. Quis putas? dictum autem diu ante. *Magnus coram Domino*. Huic igitur magnitudini contemplandæ insistamus, ut Joannem magnum coram Domino agnoscamus, agnitumque veneremur.

Confirmatio per distributionem inferendo ex partibus totum. Magnus coram Domino Joannes in infantia, pueritia, & reliqua vita. Ergo Magnus simpliciter.

D. Joannes *Magnus* in infantia, scilicet in utero Matris sanctificatus. Et hoc quidem beneficium & excellentiæ, collatum est, Jeremi: ut habetur cap: ejus 10. & factum est, *verbum Domini ad me, dicens. Priusquam formarem te, in utero, novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi, & prophetam in gentibus, dedi te.* Hoc tamen ipsum beneficium, liberalius est in D. Joannem effusum: Jeremiæ etenim, non nisi diu post, id ipsum revelatum fuit. Joannes in ipso utero, id beneficii & accepit, & agnovit: ac propter illud in utero Matris exultavit. D. Chryf. homil. 3. de præcurfore. *Saliebat, simul chorum ducens, & æque ferens, quod teneretur in utero: exclamabat aduersum mensum conversionem, tanquam injustam: quarebat matricem, in claustro, natura insultabat calcibus,*

modum nascendi accusabat, & clausis labris, vociferabatur figuris, talia propemodum, motu dicens Elisabethæ. Iniquè facis. O mater quæ tardas. Lux venit, solve matutinum. O miracula! O magnum ab utero coram Domino Joannem! cujus magnitudinem rursus suspiciens. Idem Doctor homil. 2. de nativitate ejus exclamabat. *Ores admirabilis, & præter opinionem! Quam in cælo ignoverunt Angeli, cognovit Joannes, qui gestabatur in utero. Thronos latuit, & eum qui erat in matrice, minime præterit. Quare & Antopater Episcopus Bestrorum apud Metaph. Præfert eum in utero prophetis, inquit. Fuiſti spiritu afflatus, ut qui donum Prophetiæ accepisti in utero: Saliens in ventre ea dicebas, quæ Moysi cum consenuisset Deus significavit. Qua de causa te majorem Prophetis vocavit spiritus Ecclesiæ.*

D. Joannes Magnus in Pueritia. Quia in triennali ætate, aut ut aliorum fert opinio, octodecim mensium puer, vitam professus, Eremiticam. Magni sint & admirandi Antonii, Magni Hilariones, Magni Alexii; huic Exemplo, par nullum, nec æquale adfertur: Heu! care puer quo pergis? quo Duce? quo Magistro? quo Exemplo? mundum tam maturè fugis? Verissimè Chrysol. de nativitate ejus. Joannem obsecratio genuit, non natura. Imo natura tremula stetit; Quid ni, in ejus quoque pueritia expendenda, idem asseramus, tremulam hîc stetisse naturam. Trimus puer ædes paternas, carissimosque ac optimos parentes liquit: Tremula natura stetit solus, nullo duce, nullo comite,
mun-

mundum fugiens, desertum petiit: Tremula natura stetit. Victu, amictu, lociis destitutus, constantissimè, vitam corpori acerbissimam, sustinuit: Tremula natura stetit. Obsecro te, qui audis, ut mente humili eremum hanc, penitus intres, atque ubi Joannem tenellum in genua procumbentem, orantem, corpus ciliciis, durisque plagis exercentem, tantisper contempleris, facile evinces, ut ignaviam tuam detesteris, & de Joan. cum Guerri Abb. Serm. 1. de Bapt. fatearis, quod is est Joannes in pueritia, *cujus etiam prima elementa justitia, modum supergressa sunt perfectionis humanae, cujus rudimenta primaeva aetatis, gravitatem sapientiae vicere senilis.* Prov. 30. v. 18. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam Aquilae in caelo, viam Colubri super terram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia.* Jansen per viam Aquilae intelligit perspicacitatem Joannis Evangelistae, qui sacramenta Divinitatis lucidissimè perspexit, & enarravit: per viam colubri, viam Christi humi serpentis & tandem exaltati & triumphum agentis: per viam navis, viam Ecclesiae, quae Petro Nauclero, per immensos eluctata fluctus, primatum in orbe obtinuit: per viam adolescentis, adolescentiam Divi Joannis Baptistae in eremo actam: verè difficilem, verè admirandam, verè eam per quam Joannes in Pueritia sit Magnus coram Domino. Tandem Divus Joannes, *magnus coram Domino* in reliqua vita. 1. Quia ut ait August. homil. 4. de Nati. Bapt. *Joannes non invenitur inter discipulos Domini, sed invenitur potius habuisse*

discipulos cum Domino. Quid est hoc? quid est iste homo? homo? homo tantum? quis homo tantus? Quantus tantus homo, tamen non sequebatur inter discipulos Dominum, & sequabatur eum discipuli: absit, ut dicam contra Dominum, sed tamen quasi extra Dominum. Discipulos habebat Christus: discipulos habebat Joannes docebat Christus, docebat Joannes. 2. Qui aut ait Damian; sub finē Ser. de prerogativis Baptistae, Joannes Patriarcha, imò Patriarcharum finis & caput. Joannes Prophetia, imò plus quam Prophetia: Joannes Angelus, sed & inter Angelos electus: Joannes Apostolus, sed & Apostolorum Primus & Princeps, quia fuit homo missus à Deo. Joannes Evangelista, sed & Evangelii primus messor, predicans Evangelium Regni. Joannes virgo, imò Virginitatis insigne, pœdicitia titulus, castitatis Exemplum. Joannes Martyr, sed & Martyrum lumen: 3. Quia meruit ipsum Christum sui laudatorem: & non est aggerativum, sed fide summa credendum Elogium, Matth. II. *Inter natos mulierum non surrexit Major Joannes Baptista.* Denique ejus æstimationis sanctitas illa fuit, ut etiam post mortem resurrexisse, & in Christi persona vivere crederetur. Marc, 6.14.

Conclusio ab illatione totius, & subjun-
cta doctrina.

Magnus igitur de toto Joannes, & magnus coram Domino. Nos quales sumus nosmetipsos
confite-

consulamur. Nemo est qui magnus haberi no-
lit, sed quantuscunque sit, nisi coram Domino
sit magnus, magnus esse non potest. Trunci sunt,
qui nos extollunt: dignitas, opes, scientia, qui
postquam morte adempti fuerint, parvi & risu di-
gni, nisi coram Domino simus magni, apparebi-
mus. &c. &c.



MODUS XLIX.

A Benumeratione item, partium ducitur oratio,
quando supponitur aliquid certum, & ad il-
lud evincendum descenditur per divisionem singu-
larium E. g. dicturus Dominica 22. Pentec. super
illud, cujus hæc imago? assumeres pro fundamen-
to illud Divi Ambros. lib. 1. officiorum cap. 49.
*Veniamus ad illam diem, & secundum imaginem æ-
stimabimur: & inquisiturus, cujus imago, placitura
esset in illo die, diceres, nec fore illam quam refert
magnum genus, nec illam quæ commendet magnum
robur, nec ullam aliam, qua homines sua opera for-
mant. Restat ergo, ut sit illa imago, imago Dei,
inlita animabus nostris. Similiter ad illa verba.
Amice, ad quid venisti? Dominica 19. Pent. dictu-
rus de fine hominis: diceres non venisse nos in
mundum ut vivamus, nec ut viventes bonis hujus
vitæ fruamur. Igitur ut vitam æternam, Deo ser-
viendo, promereamur.*